

C. GALENI SENTENTIAE POTIORES,
quibus nominum & uocabulorum anxiam dis-
quirendi rationem, neglecta re ipsa;
uidetur improbare.

Libro Naturalium facultatum. 2.

De nominibus habenda controuersia non est.

De Locis affectis lib. 1.

Sine contentiosis nominibus, ex rebus ipsis potius utilitatem consequi
oportet.

Eodem libro.

De nominibus contendere, cæteris permittemus: nobis enim res, quas il-
li penitus ignorant, pertractare satis fuerit.

Libro quinto Locorum affectorum.

Satus fuerit in rebus utilibus tempus collocare, ex quibus uel ad noticiā,
uel presagia, uel curationem, fructum aliquem decerpere possimus.

Libro de Symptomatum differentijs.

Meminisse oportet eius, quod semper dicere solemus, ut quod ad nomi-
na pertinet, celerrime mutuam pacem componamus; atq; ad res ipsas
festinantes, in ipsis uersemur, ac diu persistamus. Verum inueniuntur
complures, etiam eruditionis titulo se se uenditantes, qui omnia peruer-
tunt: quippe omnem uitam de nominibus altercando cōterunt, adeo,
ut nunquam possint ad artis finem peruenire. Quid igitur faciet uir ue-
ritatis studio affectus? Principio ostendere debet res, quæ suapte natu-
ra inter se similes sunt, atq; ob hoc neglectæ. Deinde imponere eis no-
mina, maxime (quoad eius fieri potest) usitata, & a patre sermone nō
aliena. Quod si hæc ignorat, singat sibi propria. Idq; sumopere curet,
ut singulis rebus, singula adhibeat nomina. ne ob homonymiam ser-
mo reddatur obscurior: neue sophismatis perturbetur, necq; etiam res
aliqua omittatur. Cæterum siue recte, siue perperam, siue proprie, siue
improprie nomen fuerit institutum, multo ocio considerandum est:
idq; si prius res ipsas didicerimus. Quippe non in nominibus, sed in re-
rum noticia rectum officium uersari uidetur. Nos uero, ut diximus, pa-
trijs utimur nominibus, sed res ipsas præterire concedimus minime.
Et iterum. Nomina pro arbitrio mutare licebit, modo obserues, ut res
ipsæ permaneant.

Libro. 9. Therapeutice Methodi.

Est artis utilitas, auxilia quibus eger sanetur, inuenire. Qua quidam reli-
cta, de nominibus litigant.

De hoc uide lo. quoq; Manardum, aduersus Simonem pistorem.

G A L. lib. Naturalium facultatum. 2.

In ea doctrina, qua de arte quapiam agitur, satis est,
si quis uocabulum atq; significatum eius, pro Do-
ctoris uoluntate proferens procedat; deinceps ad
rerum enarrationem.

D

~~Kni~~

Apteker zom Brillen

